

ram rege ex ira ostendit. Aliud exemplum memorabo. Postquam coemeteria et loca, vbi sepeliuntur mortui, ex superstitione pontificia consecrari coeperunt, sacrilegii poena in reos criminis sepulchri violati statuta est lege 5. Cod. de sepulchro violato. Eandem referre videtur poenam Ius Saxonicum Prouinciale L. II. art. 13. his verbis: Die Kirchen oder Kirchhöfe berauben, die soll man radbrechen. Conf. Sächs. Lande. L. II. art. 10. et Schilter Exerc. ad ff. 49. th. 17.

§. IV.

Id quod extra dubitationem positum est, si iura noua Germanica spectentur, siue vniuersalia siue angularum rerumpubl. An Sc. Velleianum in omni Germania sit exul?

Hinc non mirandum, iura Germanica noua siue vniuersalia siue, quae in specialibus obtinent rebuspublicis, sancita Romanorum passim referre, priscis saepenumero Germanorum institutis moribusque quasi foras exclusis, suoque a peregrinis legibus loco et sede deturbatis. Sane, si quasdam ordinationes constitutionesque singularium prouinciarum Germaniae subiicio oculis, vbiuis vel Romano-Justinianum vel Pontificium ius tantum non primum occupat locum, quorum quasi beneuolentiae munus esse videtur, vt inter ipsa ius patrium velut tenuis hospes adsideat aut respirare possit aliquantum. Etiam huius rei producam pauca quaedam documenta. In Ordinatione Prouinciali Slesuico-Holfatica, quam, quoad in his moratus sum terris, manibus volutavi, leges Quiritum Pontificisque sanctiones spirare videntur. Non est, cur sim copiosior in re aperta. Quis iusiurandum dandorum ac respondendorum, quis dotem eiusque priuilegium, pactum dotale, quis donationem propter nuptias, donationemque mortis causa, quis testamentum, quis Senatusconsultum Velleianum e Germanici iuris fluxisse fontibus dixerit? Quid vero, intercedas, Holfatis cum Senatusconsulto Velleiano? Ita aio, frustra reclamante Illustri Ludwigio in Dissertationi-